

uiuunt gentes ille de carnibus lacte & risis. vinum quidem de uitibus non habent
set ipsum de risis & speciebus faciunt ualde bonum/

adorat ydola

*quod liones deuorant
homines illis partibus
prol[]tantia/*

Sugçu est quedam prouincia uersus leuantem & quando disceditur a tolo man
itur xij dietis supra quoddam flumen circum quod multe inueniuntur
ciuitates & castra & cum itum est xij dietis supra istud flumen inuenitur
dicta ciuitas Sugçu que est multum nobilis & magna gentes adorant ydola & sunt
sub dominio magni can uiuunt de mercimonijs & artibus. & faciunt drappos de
corticibus arborum qui sunt ualde pulcri & illos drapos uestiunt in estate. homines ^{33^o}
sunt ualentes pro armis nullam habent monetam preter quam de cartis domini
grandis ibi sunt tot leones quod nullus audet extra domos dormire quia statim
leones ipsos comederent. Et quando homines per flumen istud nauigant & in
nocte in flumine requiescant nisi sint longinqui a terra leones quousque ad barchas
natantes homines capiunt & deuorant set homines sciunt optime precauere leones
sunt maximi vobis dicemus quid mirandum quod in contrata illa sunt canes
tante audacie quod agrediuntur ipsos leones oportet quod sint duo. Nam unus
homo eques cum duobus ex illis canibus unum magnum leonem & ferocem
occidunt/ habent syricum in magna quantitate & de omnibus maneriebus merci-
monia habundant que per istud flumen in multas partes feruntur Et per istud
flumen itur xij dietis inueniendo continuo ciuitates & castra quarum gentes adorant
ydola pecunia illarum est de cartis uiuunt de mercimonijs & artibus homines
ualentes sunt ad arma & discedendo a çuçu itur iij dietis inueniendo multas
ciuitates & castra gentes quarum sunt mercatores & artifices & ydola adorantes
habent pecuniam de cartis magni can/

adorant ydola

Caçanfu est quedam ciuitas nobilis de cathay & est uersus meridiem. gentes
cuius adorant ydola & faciunt comburi funera cum moriuntur/ sunt & ibi
aliqui xristiani qui in ciuitate predicta unam habent ecclesiam sunt sub
dominio magni can monetam habent de cartis/ uiuunt de mercimonijs & artibus. ^{33^o}
nam syricum habent habundanter. ipsi laborant drapos aureos & de syrico &
syndonem in magna quantitate ista ciuitas multas habet sub suo dominio alias
ciuitates & castra per medium ciuitatis quoddam magnum flumen pertransit
per quod ad ciuitatem Cambaluc multa mercimonia transferuntur/

adorant ydola

Cianglu est quedam magna ciuitas uersus meridiem de prouincia Cathay.
subdita magno can. gentes cuius adorant ydolla. & faciunt comburi
funera monetam habent de cartis magni can. In ista ciuitate & districtu
fit sal in maxima habundantia in hunc modum. habent enim quamdam maneriem
terre salse de qua magnos congregantes montes super eos aquam infundunt quam
quidem aquam infusam ex uirtute terre salsedine asumpta ad inferiora discurentem
colligunt per conductus. ipsum postmodum in patellis spatiosis & amplis multum